



arcuato factae, quas destruxerunt et testudines dejecerunt, nec hodie sinunt in modum pristinum reformari. Valde enim ex levi causa et de facili contra Christianos commoventur, et in eos saeviunt, et ideo, ne subito moti statim ad nocendum procedere possint, firmiter se fratres concludunt. Sic etiam alii Christiani orientales domus munitas ferreis portis habent clausas propter eandem causam.

De loco oratorii b. Mariae Virginis.

Regressi igitur sumus cum fratribus per illam portam sine apparatu processionis solemnis, et sine cantu, et venimus primo ad gradus lapideos, per quos in ecclesiam sursum est ascensus. In his gradibus procubuimus ad orationem, venerabile sacramentum et loca sancta ab intra venerantes. Ab inde surreximus et ad angulum exteriorem ecclesiae venimus, et ibi est locus, in quo beata Virgo Maria oratorium suum habuit. In eo ergo loco prostravimus nos, et orantes indulgentias accepimus (+). Ibi in mentem venit nobis, quomodo in hoc loco et alibi (B) b. Virgo Maria crebras et dulcissimas ad Deum fudit orationes pro nobis intercedendo, et fundit usque in finem saeculorum, quod utique necessarium est. Sicut enim terrae, ut sit fertilis, necessarii sunt solis radii; ita Mariae preces nobis miseris. Unde Bernhardus: tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur in toto universo.

De loco sepulturae David et Salomonis et caeterorum regum Juda et Jerusalem.

Reliquimus ergo locum oratorii b. Virginis, qui est, ut dixi, juxta angulum ecclesiae, qui angulus unit murum ecclesiae venientem ab oriente cum muro veniente a meridie. Ad murum ergo, quo ab oriente descendit, ascendimus ab angulo, et venimus ad alium murum non altum, qui erat a muro ecclesiae per quadrum deductus quasi parvum atrium. In hoc atriolum per murum ascendimus: et ingressi invenimus in pariete ecclesiae

266

264

270

260

275

255

315

215

365

165

Ende

Anfang